

fulabant, eosque ac *Leonem*, ut testatur Tertullianus, acclamabant; quorum infans, & tumultuosus acclamationibus, cum Magistratus, Judices, & Provinciarum Præfetti obfistere, suaque auctoritate intercedere debuissent, illos potius, quasi oleum camino addentes, de industria fovebant, & Christianos ad se delatos, aliis quæstis non tam caulis, quam coloribus morti adjudicabant. Quo factum est, ut totus Orbis, teste Eusebio Casariensi in proœmio lib. 5. Hist. Eccl. sparso Christianorum sanguine fuerit cruentatus. Accessit ad malorum cumulum ejusdem Imperatoris alterum, sed præcedenti omnino oppositum Edictum, quo Galliarum Præfetto præcipiebatur, ut hi, qui a Christiana Religione defecere nollent, gladio cæderentur, aliis vero, qui hanc Religionem egerant, ignosceret, sicut legitur in Epistola Christianorum Lugdunensium. Quin, & idem Imperator nova in Christianos iussit in Asia promulgari Edicta, quæ atrocissimæ persecutionis face accensas complures fidei Christianæ strenui Athletæ Martyrii coronam consecuti sunt, quos inter eminuit S. Polycarpus, qui Smyrnæ anno Christi 166. vel, ut alii volunt 169. & alii bene multi Martyrium passi sunt, de quorum gloriosa passione præclara extat Ecclesiæ Smyrnenfis Epistola, cujus maximam partem Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 15. inferuit. Celebris etiam fuit Lugdunensium Martyrum cædes, qua *Pothinus* Lugdunensis Episcopus, & alii pene innumeri Christiani anno Christi 177. sublatis sunt, Martyresque effecti in Amphiteatro, cujus etiamnum Lugduni rudera videntur in colle *Forviere*, quorum corpora ludibriis plebis exposita sunt per sex dies, deinde combusta in *Athanaco*, loco vulgo dicto *Aisnay*, & eorum cineres dejecti in Rhodanum. Sanctorum illorum Martyrum Lugdunensium certamina descripta leguntur in Epistola Ecclesiarum Vienneſis & Lugdunensium ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ data, quæ extat apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccl. cap. 1. 2. & 3.

Ecclesia sub Imperatore *Commodo* Marci Aurelii filio alta pace potita est, nec ulla fuit persecutione agitata. *Apollonius* Romanus Senator, Vir doctissimus, & Magnus Philosophus, coram *Perenni* Prætorii Præfetto accusatus, quod Christianus esset, ad Senatum remissus, ut coram eo oblatum sibi crimen dilueret, nobilem pro se, atque pro Christianis coram Patribus Conscriptis Apologiam a se concinnatam recitavit, a quibus tamen damnatus, & securi percussus mortem pro Christo obiit. Ejus tamen delator, juxta legem ab Imperatore *Hadriano* editam, multatus est Crurifragio.

Sub Imperii *Severi* initium adhuc in sinu pacis quiescebat Ecclesia, sed circa decimum Imperii sui annum *Severus* Edicto sub acerbissimis pœnis vetuit, ne quis ad Judæos, & Christianos transiret. Hinc persecutio in Christianos, quæ jam in Africa præcedenti anno Christi 200. sub *Saturnino*, & sub *Scapula* Saturnini successore anno 201. cœpta fuerat, tanto per omnes Provincias furore exarsit, ac debacchata est, ut numerari haud possint Christiani, qui ubique pro fide occubuerunt,

sicut scribit Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 1. Atrociter tamen hæc persecutio Alexandriæ viguit, ubi totius Ægypti, & Thebaidis Christiani variis, & crudelissimis suppliciis, quæ horret calamus scribere, trucidati sunt. Quorum alii crucibus suffixi, alii unguibus ferreis dilaniati, alii capite plexi, alii vivi combusti, alii ad bestias projecti, alii, quorum mirrissima censebatur pœna, ad metalla damnati, vel ad barbaras Insulas relegati. Verbo dicam, tam atrox, tamque cruenta incubuit persecutio, ut Christiani, teste Eusebio lib. 6. Hist. Eccl. c. 7. tum temporis existimarent imminere adventum Christi Domini ultimum, & Antichristum non procul abesse. Inter præcipuos, qui in hac persecutione sanguinem pro Christo fuderunt, censentur *S. Perpetua*, & *S. Felicitas*, quæ heroicæ fortitudinis in fragili sexu specimen dederunt, *Leonides* Pater Origenis, quem cum captum videret Filius anno tum natus 17. sicut assertit Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 1. tanto martyrii ardore flagravit, ut non nisi ægre, variisque artibus a matre impeditus sit, quominus clam se domo subduceret, & patris sequeretur exemplum. In Galliis *S. Irenæus* Lugdunensis Episcopus, suis stipatus Lugdunensibus Christianis, fidem, quam perdoctis suis lucubrationibus defendit, sanguine firmavit, & una cum illis martyrii gloria donatus est. Hac Severiana flagrante persecutione tanta, inquit Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 39. multitudo Christianorum ob Confessionem Domini nominis est jugulata, ut per plateas flumina current de sanguine Christiano, quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vite conscripsit.

Sub Imperio *Antonini Caracallæ* respirare cœpit Ecclesia, nec ulla sub Imperatoribus, *Macrino*, *Elagabalo*, seu *Heliogabalo*, & *Alexandro Severo* persecutiones passa est. Scribit *Lampridius*, *Alexandrum Severum* Imperatorem coluisse Christum in larario suo, eique Templum, & Apotheosim parare voluisse. Sic enim scribit c. 43. in vita *Alexandri Severi*: *Alexander Severus Christo Templum sacre voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui Templum in omnibus Civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ idcirco, quia non habent Numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicitur, sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, reppererunt omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & Templum deferenda.* Verum *Lampridii* fides hac in re non est indubitata apud omnes; nam eum allucinatam fuisse, dum scribit *Hadrianum* Imperatorem Christo Templum extruere voluisse, *Casaubonus* in notis ad hunc *Lampridii* locum, & *Cl. Pagius* in Critica *Baronii* ad annum Christi 134. evincunt ex silentio *Justini Martyris*, *Athenagoræ*, *Tertulliani*, *Cypriani*, aliorumque veterum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum, qui ne ullum quidem verbum de tam nobili historia Christianæ Religionis perhonorifica fecerunt. Jussit quidem *Hadrianus* Templum fieri in omnibus Civitatibus suo Nomini sine dubio consecranda, quod & *Spartianus* in illius vita testatur, sed mortuo *Hadriano* priusquam hæc Templum absolventur, mansere pleraque ipsorum imperfecta, neque unquam dedicata sunt.

fuert. Quo factum est, ut id ætatis multi in animum inducerent, quibus assentitur *Lampridius*, non sibi *Hadrianum* Templum illa extruxisse, sed Christo. Ut ut sit de veritate illius facti historici, quod narrat *Lampridius*, certissime constat, *Alexandrum Severum* Imperatorem a *Mammææ* matre, quam nonnulli Christianam fuisse affirmant, sanctissime institutum, & Christianis impense favisse. At, occiso *Alexandro Optimo* Principe, *Julius Maximinus* Imperium invasit, qui non Imperatorem, sed Tyrannum agere cœpit. Episcopos liquidem, & Sacerdotes dato Edicto morti crudeliter addixit, quod multis in locis summa cum sævitia executioni mandatum est, ejusque occasione passim edita Episcoporum, Sacerdotum, & Clericorum funesta strages. Hæc persecutio toto Imperii *Maximini* tempore, hoc est, per tres annos integros a mense Martio anni 235. usque ad eundem mensem anni 238. sævit, unquam solo æquata sunt Christianorum Templum, quæ, Imperante *Alexandro Severo*, in honorem Supremi Numinis fuerant extructa, atque consecrata.

Interempto *Maximino* Imperatore, restituta fuit Ecclesiæ pax, & tranquillitas, quæ nulla deinceps usque ad Imperium *Decii* persecutione fuit perturbata. At enim *Philippus*, qui post *Gordianos* a Senatu renunciatus est Imperator, in Christianos fuit propensissimus, & de illis optime meritus. Quin, & *Baronius* Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum Christi 245. secutus Eusebium l. 6. Hist. Eccl. cap. 34. putat *Philippum* Imperatorem Christo nomen dedisse, eumque sacris aquis immersum, & publica Exomologesi coram *Fabiano* Pontifice, Romanoque Clero eluisse, ac deterfisse quicquid peccaverat contra *Gordianum* Prædecessorem suum, quem spoliatum Imperii sui ornamentis cædendum jusserat. Sed, ut ut sit de hoc facto historico, quod multi Critici in dubium revocant, & præsertim *Antonius Pagius* in Critica *Baronii* ad annum Christi 244. certum est, *Philippum* Imperatorem benevolentia sua Christianos dignatum fuisse. Sub finem tamen ipsius Imperii nescio quis Pseudo-Vates, seu Magus, sic Populum Alexandrinum in Christianos accendit, & instigavit, ut multi ex illis capti, fuerint e vivis sublatis. Tum temporis *Apollonia* Virgo, postquam ipsi contusi, ac evulsi fuere dentes, extra Civitatem adducta ut combureretur, sua sponte in rogam accensum intrepida profiliit. *Serapio* e fenestris precipitatus, & collisus ad solum extinctus est. *Ædes* Christianorum a furente Populo passim diripiebantur, omnes ad mortem quærebantur, nec ullus Christianorum palam prodire audebat. Capti vero, & Christianum nomen abjicere nolentes per vicos trahebantur, vivique urebantur. Huic tandem Populari persecutioni finem dederunt enata dissidia inter illos scelestos & furibundos homines, qui sese, ita permittente Deo, civili bello, mutuisque claudibus attriverunt. Legi potest Epistola *Paschalis* S. *Dionysii* apud Eusebium l. 7. Hist. Eccl. c. 22.

Hæc localis in Christianos persecutio præcessit anno integro persecutionem illam, quæ sub *Decio* Imperatore debacchari cœpit exeunte anno Chri-

sti 249. *Decius* quippe cognomento *Trajanus*, in odium Christianorum, qui plerisque in locis *Idola*, & *Fana* diruerant, atrocissimum Edictum sub initium Imperii sui promulgavit, minas intentans in Præsides, qui in Christianos omnia supplicia non congererent. Tam severo, & iniquo Edicto obtemperavit Præsides, dataque sibi ab Imperatore sæviendi potestate, adeo crudeliter usi sunt, ut quamplurimis Christianis, qui tempore pacis maximum in numerum excreverant, suppliciis, carceribus, summaque rerum omnium egestate diaram necem intulerint, eosque per gloriosum martyrium Cælo inseruerint.

At, quod certe dolendum est, complures id ætatis reperti sunt Christiani, qui in sinu diuturnæ pacis molles, & languidi effecti, avitam fidem deseruerunt, thurisque Idolis adoleverunt, de quibus conqueritur *Cyprianus* in libello de lapsis. Sub initium istius persecutionis *Moyſes*, *Maximus*, *Celestinus* ob constantem fidei confessionem a *Decio* Imperatore vinculis constructi in angustissimos carceres coniecti sunt anno Christi 249. *Fabianus* itidem Pontifex Romanus ineunte anno 250. Sedem Petri suo sanguine illustravit. Nec Romæ solum, sed in omnibus Romani Imperii Provinciis sævitum est in Christianos, nec Christianis, qui in Gallia Celtica, & in Hispania degebant, parcitum. Crudelior tamen fuit persecutio in Asia, in Oriente & in Ægypto, quæ tamen sub finem anni Christi 250. deseruit, & ante obitum *Decii* Imperatoris sedata est, sed postea instaurata fuit ab Imperatoribus Gallo, & *Volusiano*; qui mense Junii dederunt Edictum, quo omnes Christiani ad sacrificandum Idolis obstringebantur. *Cornelius* Pontifex Romanus, & *Lucius* ejus successor cum multis e Clero Romano ad Centum Cellas relegati fuerunt, ac martyrio coronati, ut liquet ex *Chronico* *Damasi*.

Valerianus principio Imperii sui Christianis favore visus est, teste Eusebio lib. 7. Hist. Eccl. cap. 10. sed consiliis, malisque artibus cujusdam *Macriani* Ægypti Magi dementatus Imperator, eorum crudelissimus persecutor evasit anno Christi 257. In primis districte inhibuit, ne Christiani conventus agerent: dein, edixit ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi morti addicerentur. Senatores, Equites, & Magistratus Christianæ Religionis cultores officiis, dignitatibus, ac bonis omnibus privavit, eosque pœnam capitis subire voluit, si Christianum nomen abjicere nollent. Mulieres autem nobiles Christianæ bonis expoliatae ut in exilium mitterentur, jussit. Quæ omnia impii voluntatis Imperatoris Ministri executi sunt, & ubique crudelem Christianorum carnificinam profuso eorum sanguine ediderunt. Sanctus *Cyprianus* in hac persecutione *Valeriani* martyrium passus est anno Christi 258. Sed a *Sapore* Persarum Rege capto *Valeriano*, ac vivo excoriatum, resoruit pax Ecclesiæ sub *Gallieno* ejus filio, qui excitatam in Christianos persecutionem omnino compefcuit, ipsique ablata Templum, & Cœmeteria restitui jussit. Eusebius libro septimo Hist. Eccl. cap. 13. recitat rescriptum, quod *Gallienus* Imperator ad *Dionysium* Alexandrinum, aliosque Ægypti Episcopos dedit, quo motam

motam persecutionem sedavit, & pacem Ecclesiis per Egyptum constitutus reddidit. His autem verbis conceptum erat Gallieni rescriptum: *Imperator Caesar P. Licinius Gallienus Pius Felix Augustus Dionysio, Pinna, Demetrio, & reliquis Episcopis. Indulgentiam beneficii nostri, per univ-
ersum Orbem diffundi precepimus, ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca & vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam faceat, atque id quod vobis exequi licet jam dudum a me concessum est. Ex quo Imperatoris rescripto ad Episcopos Egypti misso, & ab Eusebio relato facile dignoscitur, jam aliud rescriptum ab eodem Gallieno per univ-
ersum Imperium fuisse publicatum, quo in Christianos vetita fuit persecutio. Viguit hæc pax Ecclesie ab Imperatore Gallieno concessa usque ad persecutionem Diocletiani, quæ anno 303. initium habuit, adeoque crudeliter sæviit, ut omnes ferme Imperii Romani Provincie Christianorum sanguine maduerint, Ecclesie diruta, & Scriptura Sacra igne consumpta fuerint. Hinc Lactantius cap. 17. lib. de mortibus Persecutorum sermonem habens de hac Diocletiana persecutione, ait, *Non mihi si lingue centum, oraque centum, ferrea vox, omnes scelorum comprehendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina possem, quæ Judices per Provincias justis, atque innocentibus detulerunt.**

D. Tot inter gravissimas persecutiones quo in statu erant res Ecclesie?

M. Tantum abest, ut istæ persecutiones ultimum exitum attulerint Ecclesie, ut potius splendorem, majusque ei contulerint incrementum, quia sicut apposite ait Tertullianus in Apolog. *Plures efficiuntur, quoties a vobis metimur, sanguis Martyrum est semen Christianorum, qui eo latius propagabantur, quo magis ab Ethnicis opprimebantur.* At enim jam in primo Sæculo suas Asia, & Gallia habuere Ecclesias, sicque in immensum crevit Christianorum numerus, ut in tertio Sæculo mediam Imperii Romani partem impleverint, atque numerosæ in singulis Civitatibus existerent Ecclesie, quæ ab Episcopis, Presbyteris, & Diaconis regebantur, inter quas nonnullæ cæteris dignitate eminebant, & Episcopi qui illis præerant, majori pollebant autoritate. Ecclesia Romana a S. Petro Christi in Terris Vicario fundata principem locum obtinebat, Alexandria secundum, Antiochena tertium; Hierosolymitana vero Ecclesia, quæ nascenti Christianæ Religioni obstetricis, & crescenti nutricis præstitit officium, in singulari veneratione erat apud Fideles. Arctissimo tamen ejusdem communionis vinculo, pacisque sedere junctæ omnes illæ Ecclesie unum & idem corpus constabant.

D. Nunc memoria teneo omnes persecutiones, quibus Ecclesia in tribus prioribus Sæculis fuit ab Ethnicis Imperatoribus exagitata. Velim modo mihi exhibeas continuam seriem Episcoporum, qui in celebrioribus Ecclesiis, quas mox laudasti, videlicet Romana, Alexandria, Antiochena, & Hierosolymitana suas Sedes a temporibus Apostolorum fixerunt, easque cura pastorali administrarunt, rexerunt, ac gubernarunt.

M. Cum hæc de serie Episcoporum, qui præcipuas Ecclesias rexerunt, accurata discussio longius nos abduceret, consultius est, ut ejus examen remittamus ad alterum colloquium, quod crastina die post prandium eadem hora in Musæo instituemus.

D. Adeo me oblectat Historie Ecclesiasticæ notitia, ut noctu diuque ejus studio totus incumbere vellem, teque audiendo libenter pernoctarem. Quapropter antequam Colloquio nostro finem imponamus, pergratum mihi faceres, si vitam, & seriem Imperatorum, qui tribus primis Ecclesie Sæculis summa rerum potiti sunt, velles compendiose describere.

M. Romanum Imperium sumpsit exordium a Cajo Julio Cesare, e Nobili gente Julia Romana, Lucii Julii Cæsaris, & Aureliæ filio, qui victo Pompejo, & actis quinque triumphis, accepta inter alios honores Dictatura perpetua, atque Imperatoris nomine assumpto, Romani Imperii fundamenta jecit, anno ante natum Christum 46. Princeps in rebus bellicis clarus, nec pacis artibus minor, facundia insignis, facta in eum Romæ conspiratione confossus est in Senatu tribus & viginti vulneribus, M. Bruto, & C. Cassio Conjuratorum principibus anno ætatis suæ 56. Imperii 4.

Julio Cæsari successit Octavianus Octavii ex Equestri, ac Senatoria Familia, & Acciæ filius, a C. J. Cæsare adoptatus, & Cæsar nominatus. Imperii sui decimo sexto Augustus est appellatus. Urbem mirum in modum restauravit, & magnificis auxit ædificiis, inter quæ celebriora Pantheon, & Templum Quirini. Denique, postquam res domi, forisque optime gessisset, & sapientissimas leges condidisset, obiit Nolæ ex profluvio ventris; quibus an ex sicubus veneno illitis, anno ætatis suæ 77. Præfuit annis quinquaginta septem, sex mensibus. Anno ejus Imperii 40. natus est Christus Dominus, ut ostendimus Dissertatione quinta Tractatus de Mysteriis, & annis Christi.

Tiberius e gente Claudia Romæ Nobili Tiberii Neronis, & Livie Drusillæ filius, ab Augusto Vitrico adoptatus Imperium post eundem consecutus est anno Christi 14. virtutum, & vitiorum omnium exercitia miscuit, & professus est. Decessit Miseni, crediturque a Cajo nepote suo suffocatus, anno ætatis suæ 78. Imperii a morte Augusti 23. Vide quæ in Dissertatione decima Tractatus de Mysteriis, & annis Christi diximus de exordio Imperii Proconsularis, & Augustæi Imperii Tiberii, ubi etiam monstravimus, Christum baptizatum fuisse anno decimo sexto Imperii Proconsularis Tiberii, & in Crucem actum fuisse anno decimo nono ejusdem Imperii Proconsularis Tiberii.

Cajus cognomento Caligula quod in Exercitu Caligis militariibus uteretur, Germanici, & Agrippinæ filius, adoptatus fuit a Tiberio, & imperare cepit anno Christi 37. Optimi Patris pessimus filius fuit, omnibusque vitiis contaminatus, propter quæ omnibus exosus, trucidatus est Romæ a Cassio Cherea, aliisque conjuratis, anno ætatis suæ 28. Imperii 4.

Tiberius Claudius Drusi Majoris, & Antonie Minoris filius, Germanici frater, in Palatii angulo a Prætorianis inventas post Caligulæ mortem,

tem, raptus est, & Imperator acclamatus anno Christi 41. Principio Imperii optimas sanctiones tulit, multaque opera publica extruxit. Sed multis postea vitiis deditus, periit sumpto in boletis veneno, conscia uxore Agrippina, anno ætatis suæ 64. Imperii 14.

Claudius Domitius Nero Cnei Domitii Enobarbi, & Agrippinæ filius a Militibus ad Imperium evectus est anno Christi 54. Initio Imperii egregia dedit virtutis specimina. Sed deinde pessimus evasit, nullumque fuit vitium, quo se non sædaverit. Bellum Britannicum infeliciter gessit, feliciter vero Parthicum per Domitium Corbulonem, & Judaicum per Vespasianum. Propter scelerum multitudinem a Senatu hostis judicatus est, & contra ipsum acclamatus Imperator in Hispania Sergius Galba. Quo accepto nuncio, sibi mortem pugione conscivit, anno ætatis suæ 32. Imperii 14.

Sergius Sulpicius Galba Romanus e Nobilissima Sulpiciorum familia, patre Servio Sulpicio, matre Mumia Achaja genitus, a Militibus acclamatus est Imperator contra Neronem anno Christi 68. a Prætorianis Ottoni faventibus trucidatus est Romæ in Foro, caputque ipsius ad eundem Ottonem in Castra missum. Obiit anno ætatis suæ 73. Imperii mense septimo.

Marcus Salvius Otto Lucii Ottonis, & Albiæ Terentiæ filius, e Familia Nobili ex Etruriæ Oppido Ferentino, ægre ferens prælatum sibi adoptione Pisonem a Galba, militum sibi conciliavit animos, & ab iis deductus in Castra Imperator est salutat. Sed victus ab Exercitu Vitellii, qui fuerat Imperator acclamatus, ne sibi tanto Civium sanguine, ac periculo Imperium tueretur, pugione se transfixit, anno ætatis suæ 38. Imperii die nonagesimo quinto.

Aulus Vitellius Lucii Vitellii, & Sextiliæ filius, Romano genere nobilissimus a Germanico Exercitu prope Coloniam salutat est Imperator, vivente adhuc Galba. Sed deficientibus ad Vespasianum Legionibus Mæstiarum, & Pannoniarum, item Judæarum, ac Syriarum, tractus est in forum religatis post terga manibus, & injecto cervicibus laqueo minutissimis ictibus excarnificatus est, & unco postea raptus est, & projectus in Tyberim, anno ætatis suæ 57. Imperii mense decimo.

Flavius Vespasianus, Titi Flavii Sabini, & Vespasie Polæ filius, ab Exercitu Syriaco, cujus erat Rector, dictus est Imperator, dum Otto, & Vitellius de Imperio contenderent, anno Christi 69. fuit optimus Imperator. Judæam omnem, præter Hierosolymam, & unum, aut alterum Oppidum subegit, obiitque in Campania anno ætatis suæ 69. Imperii 10.

Titus Vespasianus Patri successit in Imperio anno Christi 79. illudque præclaris virtutibus exornatus ita sapienter, & feliciter administravit, ut vulgo *humani generis deliciae* nuncuparetur. Bellum Judaicum jam a Patre susceptum, capta Urbe Hierosolyma, penitus absolvit. Obiit seu ex febre, seu veneno non sine suspitione a fratre Domitiano propinato, anno ætatis suæ 42. Imperii secundo.

Flavius Domitianus fratri suo Tito Vespasiano successit anno Christi 81. fuit pessimus Imperator, & in expeditionibus, quas non semel adversus Dalmatas, Catos, & Dacos suscepit, adversa usus fortuna, trucidatus est in cubiculo suo, facta libertorum & amicorum conspiratione, Principe Stephano, & conscia ipsius uxore Domitia, anno ætatis suæ 45. Imperii decimo sexto ineunte.

Nerva Cocceus illustri genere ex Oppido Narniensi natus, ab interfectores Domitiani Imperator salutat est anno Christi 96. Princeps fuit multis virtutibus commendabilis, & pacis artibus insignis. Sed cum propter senium ferme despiceretur, Trajanum adoptavit. Obiit stomachi dolore correptus anno ætatis suæ 66. Imperii primo cum dimidio circiter.

Nerva Trajanus Ulpius post Nervam, a quo fuerat adoptatus, Imperium obtinuit anno Christi 98. & ob egregias, quibus præditus fuit, virtutes, Optimus dictus est. Germanos, Dacos, Armenios, Parthos, & Judæos non semel repressit, vicit, ac profligavit. In Italiam dum reverti parat, obiit apud Selinuntem Ciliciæ anno ætatis suæ 64. Imperii 19. cum dimidio.

Ælius Hadrianus Ælii Hadriani, & Domitiæ Paulinæ filius, gente Hispanus, Romæ tamen natus, Plotinæ opera Trajani adoptionem mentitus Imperii habenas moderari cepit anno Christi 117. Judæos tumultuantem repressit, Urbemque Hierosolymam Æliam Capitolinam nominavit. Obiit ex hydrope apud Bajas anno ætatis suæ 62. Imperii 21.

Antoninus Pius Imperatori Hadriano, a quo fuerat adoptatus, successit anno Christi 138. Princeps fuit tum moribus, tum optimis artibus clarissimus. Bella in Britannos, Mauros, Germanos, Dacos, Judæos, Græcos feliciter gessit, obiitque anno ætatis suæ 72. Imperii 23. cum dimidio.

Marcus Aurelius Antoninus Anni Veri, & Domitiæ Calvillæ filius, ab Antonino jussu Hadriani adoptatus eidem successit anno Christi 161. Collegam sibi statim ex ejusdem jussu adscivit Lucium Verum. Studiis supra modum, & inter cætera Philosophiæ addictus fuit. Parthos, Britannos, Catos, Marcomanos vicit, obiitque apud Vindobonam, quæ nunc Vienna dicitur, anno ætatis suæ 59. Imperii 19.

Lucius Verus Ælii Cæsaris filius a M. Aurelio, ut mox dixi, adoptatus est, & cum eodem imperavit. Princeps fuit luxuriæ deditus, & obiit apoplexia correptus in expeditione contra Germanos anno ætatis suæ 42. Imperii nono, teste Cl. P. Pagio in Critica Baronii ad annum Christi 169. quare errarunt Capitolinus in vita Marci, Victor in Epitome, Cassiodorus, & Eutropius, qui annos Imperii undecim Lucio Veri assignant.

Lucius Aurelius Commodus M. Aurelii, & Faustinae filius patri successit anno Christi 180. Princeps fuit multis vitiis inquinatissimus, & nihilo Nerone inferior. Quapropter, cum venenum sibi propinatum magna ex parte per vomitum rejecisset, suffocatus est a Narcisso validissimo Palæstrita, anno ætatis suæ 32. Imperii 13.

Publius Helvius. Pertinax cognominatus ab ingenii pertinacia in omnibus propositis, ab intersectoribus Commodi Imperator est renunciatus, quamvis invitatus anno Christi 193. Princeps fuit vere antiquis moribus, & summa gravitate præditus, qui Aulicorum licentiam severe cohibens, ipsorum in se concitavit odia, & ab iisdem trucidatus est maximo cum Populi, Senatusque dolore, anno ætatis suæ 61. Imperii mense tertio.

Marcus Didius Severus Julianus natione Mediolanensis Imperium a Prætorianis magna vi pecuniæ pollicita obtinuit. Sed acclamato interim *Pescennio Nigro* primum, postea *Septimio Severo*, a Senatu capitis damnatus est, Princeps crapulæ, deliciisq; deditus anno ætatis suæ 57. Imperii mense secundo.

Septimius Severus, cum *Didius Julianus* male probaretur in Imperio, acclamatus est a Germanicis Legionibus Imperator prope Carnutum anno Christi 193. Vicit *Pescennium*, & *Albinum*, qui Imperium aestabant, domuit etiam *Parthos*, *Adiabenos*, & *Britannos*, obiitque *Eboraci* in Anglia anno ætatis suæ 66. Imperii 18.

Antoninus Caracalla, & *Geta*, duo Severi, & *Julia* filii pari jure post mortem patris imperarunt anno Christi 211. Sed *Caracalla*, ita dictus a quodam vestis genere ad talos usque demissæ, quam Militibus dedit & populo; consortis impatiens, fratrem suum *Getam* in gremio matris interfecit. Suscepta autem expeditione adversus *Parthos* occisus est a Centurione *Martiali* prope *Caras*, dum levando ventri operam daret, anno ætatis suæ 29. Imperii 6.

Marcus Severus Opellius Macrinus, sublato *Caracalla*, Imperator factus est a Militibus in Asia anno Christi 217. Cum *Parthis* accipiti eventu pugnavit, ab eorumque Rege *Artabano* pacem tandem emit. Quam ob rem despectus a Militibus, quos etiam *Eliogabali* *Avia Julia Mæsa* corrumperat, e vivis sublatus est in *Bithynia* anno ætatis suæ 54. Imperii secundo inchoato.

Heliogabalus, vel, ut legitur apud alios, *Eliogabalus*, Imperator acclamatus est in Asia anno Christi 218. Imperium pessime administravit, & occisus est in latrina a Prætorianis *Alexandro* faventibus, ipsiusque corpus in *Tyberim* projectum anno ætatis suæ 18. Imperii 4.

Aurelius Severus Alexander, obruncato *Heliogabalo*, ad Imperium evectus est anno Christi 222. Rempublicam summa sapientia rexit, obiitque anno ætatis suæ 26. Imperii 13.

Julius Maximinus e *Thracia*, Pastor olim, & *Opilio*, sublato *Alexandro*, a Militibus prope *Moguntiam* acclamatus est Imperator anno Christi 235. Sed audita *Gordiani* in Imperatorem electione, crudeliter in suos favite cepit. Quocirca commoto exercitu trucidatus est, dum quiesceret in tentorio anno ætatis suæ 60. Imperii tertio.

Marcus Antonius Gordianus a Militibus Imperator acclamatus est anno Christi 237. Sed cum ipsi bellum illatum fuisset, rebus desperatis necem sibi in cubiculo conscivit anno ætatis suæ 80. Imperii I.

Marcus Antonius Gordianus junior senioris filius, qui non multo post electum patrem, Imperator dictus erat, casus pariter est. In eorum locum subrogati sunt *Pupienus*, & *Balbinus*, sed cum duo isti Imperatores inter se concordēs non essent, a Militibus contrucidati sunt anno Christi 238. Imperii I.

Marcus Antonius Gordianus III. *Gordiani* senioris ex filia, vel, secundum alios, ex filio nepos, Cæsar jam declaratus ex Militum voluntate, quando *Pupienus*, & *Balbinus* Imperatores facti sunt, occisus iisdem, Militum, Senatusque consensu Imperator inauguratus est anno Christi 238. & postquam Reipublicæ præclaris ornatis virtutibus optime præfuisse, occisus est prope *Ctesiphontem* artibus *Philippi* anno ætatis suæ 22. Imperii 6.

Marcus Julius Philippus, occiso *Gordiano*, Imperium obtinuit anno Christi 244. ludos sæculares celebravit, & movens contra *Decium Imperatorem* a Militibus salutatum, occisus est a suis *Veronæ* anno Imperii 5.

Marcus Quintus Trajanus Decius, cum a *Philippo* contra *Marinum* missus esset, Imperator ab Exercitu in *Illyrico* dictus est anno Christi 249. *Scythas* multis præliis vicit, ab ipsis vero tandem in insidias tractus obiit, crediturque in *Palude demersus* anno ætatis suæ 50. Imperii 2. necdum expleto.

Cajus Valens Hostilianus, occiso *Decio*, a Senatu Imperator est salutatus, sed non multo post electionem suam obiit ex pestilentia anno 251.

Cajus Vibius Trebonianus Gallus acclamatus est post *Decium* a Militibus Imperator, sed a Militibus ejus ignaviam despicientibus occisus est anno ætatis suæ 47. Imperii 3. *Volusianus* ejus filius factus consors Imperii una cum patre a Militibus trucidatus est.

Cajus Julius Emilianus, natione *Maurus*, Imperator a Militibus factus est anno Christi 254. At, *Valeriano* ad Imperium acclamato, a propriis Militibus metu civilis belli occisus est prope *Spoletium* anno ætatis suæ 40. Imperii mense tertio.

Publius Licinius Valerianus ab Exercitu *Rhætico* salutatus est Imperator anno Christi 254. Contra *Saporem* *Perfarum* Regem pugnaturus ab eodem captus est anno Imperii sexto. Obit tandem post miserandam servitutem, a qua nullis precibus, nulloque pretio potuit exolveri, excoriatus a *Perfis*, & sale conspersus anno ætatis suæ 76.

Publius Licinius Gallienus *Valeriani* filius a patre Cæsar jam factus, rerum summa solus potitus est eodem capto, Imperatorque dictus est anno Christi 266. occisus est prope *Mediolanum* anno ætatis suæ 50. Imperii post patrem 8.

Marcus Aurelius Claudius *Gallieno* mortuo vortis omnium dictus est Imperator anno Christi 268. Obit *Sirmii* anno ætatis suæ 32. Imperii secundo.

Marcus Aurelius Quintillus *Claudii* frater, vir optimis moribus conspicuus, fratre mortuo, a Senatu Imperator factus est anno Christi 270. Verum ipse huic tanto sustinendo oneri se imparem cernens, venas sibi solvit die decimo septimo Imperii sui.

Va-

Valerius Aurelianus a Militibus evectus est ad Imperium anno Christi 270. dum contra *Perfas* revertitur, interfectus est a Militibus anno Imperii sui quinto cum dimidio.

Marcus Claudius Tacitus, post sex mensium Interregnum, Imperator electus est a Senatu invitatus, ac reluctans anno Christi 275. Princeps optimus dum ex Asia in Europam pergeret, obiit *Tarsi* aut ex febris, aut ex Militum insidiis, Imperii mense sexto.

Marcus Annius Florianus, *Taciti* frater, mortuo fratre, arripuit Imperium anno Christi 276. interfectus est a Militibus *Tarsi*, acclamato *Probo*. Alii autem scribunt, ipsum sibi necem solvendo venas intulisse.

Marcus Aurelius Probus a Militibus Imperator electus est in Oriente anno Christi 276. cum esset disciplinæ Militaris severissimus cultus, a Militibus prope *Sirmium* intemptus est anno ætatis suæ 50. Imperii ineunte septimo.

Marcus Aurelius Carus, occiso *Probo*, Imperator a Militibus acclamatus est anno Christi 282. Obit istu fulminis prope *Ctesiphontem* ad *Tigrim* Fluvium anno Imperii sui secundo.

Marcus Aurelianus Carinus *Cari* filius natu major, a patre cum *Numeriano* fratre ad Imperii consortium adscitus, Imperii habenas moderari cepit anno Christi 283. Contra *Diocletianum* Imperatorem factum sæpius confligit, tandem a suis desertus, interfectus est a *Tribuno* suo prope *Mursiam* in *Mæsia* anno Imperii secundo inchoato.

Valerius Diocletianus Imperator factus est a Militibus in Oriente anno Christi 284. *Christiano* sævissime persecutus est, deposuitque Imperium postquam illud per annos 21. tenuisset.

Marcus Aurelius Valerius Maximianus, cognomento *Herculeus*, quod se de genere *Herculis* jactitaret, a *Diocletiano* Imperator sibi collega factus est anno Christi 286. Fuit Princeps sævissimus, & Reipublicæ pestis. Quo die *Diocletianus* *Nicomediæ*, *Maximianus* *Mediolani* deposuit *Purpuram*, & in *Lucaniam* secessit anno Imperii sui 19. seu anno Christi 305. ut videre est apud clarissimum *Pagium* in *Critica* *Baronii*, ubi ex antiquis *Historiæ Romanæ* Scriptoribus, & ex optimorum *Numismatum* fide seriem Imperatorum, eorumque gesta juxta accuratissimam *Chronologiam* late prosequitur. Sed hæc summam attingisse sufficiat, ne longius, quam par sit, nostrum protrahatur colloquium (a).

(a) „ *Opportunum* mihi judico, ut consulem tyronibus *historiæ Ecclesiasticæ* studiosis, plinius distinguere Imperatores, qui non solum sed ascitis imperii sociis regnarunt; cum ea res permulti interfit ad distinguendum tempus, quo opera nonnulla veterum Patrum scripta sunt; sæpe enim in illis subobscuræ fit mentio de uno vel duplici Imperatore summam potestatem tunc dum scriberent gerentibus.

„ Quamquam vero *Augustus* omnium primus censeretur, qui Imperialem potestatem cum *Tiberio* communicavit, potestate proconsulari eidem collata, ex qua potestate Imperii a *Tiberio* gesti, anni supputati sunt in Evangelio; adhuc tamen *M. Aurelius* cognomento *Philosophus*, & *L. Aelius Aurelius Commodus* primi omnium habiti sunt, qui juncta potestate simul regnarunt an. Christi 161. Verum *Lucio* obeunte an. 169. *M. Aurelio* totum Imperium cessit, retinuitque, donec an. Christi 175. novum socium sibi ascivit *Lucium Aurelium Commodum*, regnaruntque simul usque ad an. 180. quo *M. Aurelius* defunctus est. *Severus* an. 193. Imperator renunciatus, anno demum 198. *Caracallam* socium Imperii assumpsit.

„ *Caracallas* *Getam* an. 208. adscivit ad Imperium, qui an. 212. a fratre *Caracalla* interfectus est, perseverante adhuc in Imperio eodem *Caracalla*.

„ *Maximianus* assumptus ad Imperium an. 235. regnavit cum *Opilione*. Eo adhuc superstite electus est *M. Antonius Gordianus* an. 237. sed breve illi fuit Imperium; nam anno nondum exacto ac defuncto antea *Maximino* necem sibi conscivit; electo tamen Imperatore filio suo *M. Antonio Gordiano*, cui breve reliquit Imperium.

„ His ergo sublatis *Pupienus*, & *Balbinus* simul regnarunt, sublato a militibus utroque *Gordiano*, & assumpto jam ab illis *Gordiano III. Senioris* illius ex Filio sive ex Filia *Nepote*.

„ *Philippus* Imperator dictus an. 244. renunciavit *Philippum* juniorem filium suum una secum Imperatorem an. 247.

„ Anno 252. *Gallus* *Volusianus* & *Hostilianus* Imperium una simul assumpserunt, sed *Gallus* anno præcedente jam cœperat. *Hostilianus* vero eodem anno 252. obiit. *Gallus*, & *Volusianus* sequenti 253. necati sunt.

„ Suffecti hisce anno eodem *Valerianus* & *Gallienus*; quorum alter *Valerianus* in captivitate adductus est a *Gothis* an. 259. tunc solus imperavit *Gallienus*, sed anno demum 266. fratrem suum *Valerianum* socium adscivit, anno tamen 268. interfecti sunt.

„ Caro imperante ab an. 281. dicti sunt Imperatores ejus filii *Carinus* & *Numerianus* an. 283. *Numerianus* anno 284. *Carinus* autem 285. interfecti sunt.

„ *Diocletianus* qui imperium accepit an. 284. anno demum 286. *Maximianum* *Herculeum* *Augustum* dixit.

„ Anno 305. *Diocletiano* & *Maximiano* Imperium abdicantibus locus factus est *Constantio*, & *Valerio Maximiano*. Hic calamum sisto; neque enim ulterius *Gravesonius* excurrit.

COLLO-